3

DISSERTATIONES
TRES

HERCULIS CORAZZI

Abbatis Olivetani,

Et Publici Analyſeos Profeſſoris,

In Bononienſi Scientiarum Academia Recitatae,

Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Domino

D. FRANCISCO
AQUAVIVAE de ARAGONIA

CARDINALI PRINCIPI

DICATAE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

EMINENTISSIME
PRINCEPS

VEterum beneficiorum memoria, quae a te mihi, Princeps Eminentiſſime, et a tuo immortalis nominis Fratre Joanne

Digitized by Google

Hieronymo II. Hadriae Duce XV. collata ſunt, tam alte inhaeret animo, ut nihil vehementius optem, quam pro rei magnitudine nonnihil rependere. Itaque et paucis ante annis eloquentiſſimas Sapientiſſimi Pontificis CLEMENTIS XI. Homilias poeticis numeris concluſas tibi dicavi; et nunc rurſus aliquid affero, eo ſaltem nomine non exiguum, quod ad egregium et praeſtantiſſimum Praeſulem Joannem Mariam Lanciſium, ejuſdem Sanctiſſimi Patris Archiatrum, maxime ſpectat. Habes hic Diſſertationes duas de duplici clariſſimi Scriptoris volumine, quod ego in hac Scientiarum et Artium Academia referre juſſus ſum, ad Academici noſtri litteratiſſimi glo-

gloriam , et Bononienſium ſtudiorum utilitatem . His neſcio quid noſtrum adieci de Hetruſcis Ignibus, quod per ſe quidem leviſſimum eſt ; ſed optimarum rerum ſocietate tamquam praeſidio munitum videtur eſſe aliquid, et una cum ceteris audaciſſime accedit . Quamquam quid eſt, quod non timide ad illum accedere debeat, qui ex nobiliſſima totius Italiae familia inter ſummos Eccleſiae Proceres vocatus, Catholici Regis Orator eſt, totiuſque Hiſpaniae in Romana Curia Patronus ? Verecundiam omnem abjeciſſe putandus eſt, qui nihil veritus inſigne AQUAVIVAE nomen, nihil purpurae ſplendorem, nihil tantorum munerum gravitatem, ſeſe oſten-

de-

dere audet, et Principem plurimis titulis Eminentiſſimum compellare. Quid hoc rei ſit, ego equidem non ignoro, qui tres annos domi tuae Philoſophicas, et Mathematicas diſciplinas profeſſus, tantam cepi, atque animo indidi Hadrienſium Principum exiſtimationem, ut omnia jam mihi minora videantur. Sed nullum profecto eſſet inter varios hominum ordines commercium, ſi ſumma et abſolutiſſima ratio cujuſque ordinis haberetur. Itaque facilitate quadam, et humanitate temperari ſolent Principum mores, ut vel ipſi ad nos aliqua ratione deſcendant, vel nos ad ipſos aſcendamus. Jam vides, quo tendam, Princeps Eminentiſſime, nec aliud mihi in

prae-

Digitized by Google

praeſens reliquum eſt , niſi ut ſtudia noſtra tibi commendem , quae tanto in dies laetius ſuccreſcunt, quanto tu illa majore patrocinio fovebis . In quo ſane nihil facies praeter veterem Majorum tuorum conſuetudinem, qui omnes, quaſi jure quodam hereditario, litteras litteriſque deditos humaniſſime complexi ſunt; idque decem ſaeculorum conſenſu obtinuerunt , ut AQUAVIVAE Gentis domus tamquam Muſarum perfugium in florentiſſimo Italiae Regno haberetur. Vale.

Emin.tiae Tuae Rev.mae

Bononiae pridie Kal. Decembris 1716.

Addictiſſimus et Humillimus Servus
Hercules Corazzi.

Digitized by Google

Digitized by Google

De phyſiologicis animadverſionibus

Ampliſſimi Praeſulis

JO. MARIAE LANCISII,

SANCTISSIMI PATRIS

CLEMENTIS XI.

ARCHIATRI,

In Plinianam Villam in Laurentino detectam.

Diſſertatio Prima.

SI, quo primum tempore de hac inſtituenda optimarum Artium Academia ſub auſpiciis Sanctiſſimi ac Sapientiſſimi Patris CLEMENTIS XI. actum eſt, futurum cogitaſſem, ut ego identidem dicere juberer, meamque infir-

Digitized by Google

mitatem exquiſitae doctrinae viris patefacere, non tot certe votis, tantaque contentione opus hoc laboris pleniſſimum promoviſſem. Non quod onus ullum pro Patriae, ac litterarum gloria ſuſcipiendum grave mihi videri poſſit, qui me totum Patriae, litteriſque devovi; ſed quod in hac praeſtantiſſimorum hominum corona longe praeſtet audire, quam audiri. Audendum tamen eſt, quoniam ita jubetis, et ſupra vires, ſupraque ingenium, ſi fieri poſſit, audendum. Ecce me igitur in arena: ſed eo tamen hodie conſilio deſcendi, ut qui nihil per me poſſum, aliena mutuer, ſimulque, & juſſis parcam, et jubentibus non indigna in medium afferam. Videlicet de illa Diſſertatione dicam, quam nuper ad nos Academicus noſter litteratiſſimus Joannes

Ma-

Maria Lanciſius magni muneris loco miſit: ſed ita dicam, non ut res tanta, tantique Praeſulis fama poſtulat; quis enim poteſt? ſed ut dicentis infirmitas enixe conata patietur. Non erit, opinor, qui Lanciſianis rebus meliora quaerat: noſtra ſiqua erunt, conjunctione ipſa rerum optimarum, toleranda videri poterunt. Inſcribitur itaque Diſſertatio - Phiſiologicae animadverſiones in Plinianam Villam nuper in Laurentino detectam.

Joannes Maria Lanciſius, de cujus laudibus ſatis eſt nihil dicere, quam infra dignitatem dicere, ita eſt philoſophandi cupidus, ut nullum ſibi tempus ab hoc ſtudio vacare patiatur. Itaque etiam cum otiatur, minime otioſus eſt; ſed ſolatia ipſa, et ruris delicias ad Philoſophiam refert. Cum igitur in Laurentino nobiliſſimae

Sacchettanae Familiae agro, animi gratia eſſet illis ipſis diebus, quibus non rura modo, ſed urbes etiam vacare ſolent, hoc eſt poſtremo bacchanalium tempore, quaeſivit de more, quidnam commentari poſſet ſibi jucundum, nobiſque profuturum. Forte per eos dies ea Villa detecta fuerat, quae Plinii fuiſſe dicitur, ut ex ejus epiſtola decima ſeptima libri ſecundi colligere eſt. Non poterat eſſe homini litteratiſſimo nobilius ſcribendi argumentum. Itaque ſeptem prioribus hujus Diſſertationis numeris praeclarum iſtud antiquitatis monumentum illuſtrat. Et quidem primum defendit Villae Dominum a Claudii Minoe irriſionibus, qui in ſcholiis ad ejus epiſtolas ridet hominem ſua plus juſto laudantem: deinde probat firmiſſimis et valde perſpi-

ſpi-

ſpicuis rationibus ; aedes paullo ante detectas Plinianas fuiſſe; hortaturque nobiliſſimum atque eruditiſſimum Equitem Marcellum Sacchettum, ut, edita publice loci deſcriptione, Plinium a mendacii nota liberet, et antiquum fortunatiſſimis ruderibus ſplendorem reſtituat. Paucis haec: ſed illa pluribus, quae ad philoſophicas pertinent animadverſiones. Videlicet praeterire non potuit Vir in perquirendis naturae arcanis diligentiſſimus novas illas aggeſtiones, quae circa oſtia Tiberis fieri coeperunt, longe quidem per haec tempora majores, quam olim conſueverunt. In quo ſane neſcio, utrum magis eruditionem admirer, qua nobis Tiberis curſum, totiuſque litoris incrementa, a primis uſque Romanae Reip. temporibus, ob oculos ponit,

an

an vero ſingularem atque infinitam prope ſcientiam, qua nobis oſtendit, unde tanta litori acceſſio hac aetate facta ſit. Nos primam partem omittentes, quae referri non poteſt, niſi tota deſcribatur, in altera conſiſtimus. Ad quatuor igitur veluti ſumma capita cauſſas univerſas traducit, quibus Oſtiae litus noſtris temporibus magis, quam praeteritis, amplificatur. Primo, quod Tiberis per ſinus, flexuſque multos tortuoſus excurrat. Secundo, quod variis canalibus alio derivetur, fiatque veluti multiplex. Tertio, quod ejus alveus multo latius, quam olim protendatur. Quarto, quod ſolum ripis proximum hac noſtra aetate arari, ſubigique coeperit. Ex tribus primis illud efficitur, ut aquae tardius eant: ex quarto, ut aquae pluviae ex proximis agris

in

in ſlumen decurrentes limi vim maximam invehant. Addite his omnia ſordium genera, quae hodie in Tiberim projiciuntur: addite ventorum occidentalium impetum: addite denique faucium ipſarum amplitudinem, quae undarum curſum valde minuit. Ita ſi illi philoſopharentur, qui regendorum ſluminum praecepta tradunt, ſeque Principibus tamquam optimos hydroſtaticos venditant, minus quidem multa ineptiſsime ſcripta legeremus, minus multa videremus ineptiſsime facta. Neminem ego reprehendere auſim: ſed tamen cum multa elapſo anno de Atheſi inſtaurando legiſſem, Atheſimque ipſum, Sereniſsimae Reip. Venetae juſſu, per menſes quinque percurriſſem, totumque ejus ſtatum praeſens conſideraſſem, plurima inveni, niſi fallor, & cum ratione, et cum

Me-

Mechanicae legibus valde pugnantia. Quoniam vero ex iiſdem cauſsis, ut ego quidem arbitror, litoris Oſtienſis aggeſtiones, & Tiberis exundationes proficiſcuntur, date mihi hanc veniam, Auditores, ut, quae de Atheſis exundationibus multo antea cogitavi, Venetiſque Patribus expoſui, vobis dijudicanda proponam. Neminem veſtrum ignorare arbitror, quanto ſibi tortuoſa flumina flexibus ſuis detrimento ſint, modo reputare velit, quo rectius feruntur, eo magis effodere alveum ſuum, & in profundam deprimere altitudinem. Cum enim aquae ita ſe habent ac diriguntur, ut ripis parallelae ſint, minoribus impedimentis detinentur, ac celerius currunt. Cum autem per ſinus, flexuſque feruntur, illis veluti maeandris non ipſa modo ſuperficies altius extollitur, ſed

Fi-

Digitized by Google

Filones etiam, ut appellant, in ripas incurrunt, eoque majorem impetum edunt, quo magis percuſsionis momenta gravitatis momentis antecellunt. Praeterea ſatis conſtat, ideo flumina excavare ſibi alveos, quod motu ipſo aliquid corrodant, ſecumque devolvant, atque exportent. Neceſſe eſt igitur, ut vis illa, qua alveus effoditur, quae vis nihil aliud eſt, niſi aquae impetus alveum ipſum pondere ſuo comprimentis, limoſi coeni repugnantiam exſuperet: nam ſi haec illa major ſit, aut altera alteri par, nihil omnino efficietur. Id vero multo magis fieri oportet in alvei parte illa, quae ſectum, diviſumque flumen conſequitur. Praeterquamquod enim diviſione facta, aquarum curſus plurium riparum obice inhibetur, ſectiones inſuper duorum canalium dilatari

neceſſe eſt, et minui celeritatem. Quod ſi flumen aequo prorſus orizonte protendatur, vel exigua declivitate pendeat, alveus prope fauces altius aſſurget, quam procul a faucibus. Hinc ingentes illi arenae cumuli, ſabulique aggeres, qui et in Tiberi offenduntur, et in Atheſi, unde tam multae fieri ſolent in proximos agros exundationes; cum certum exploratumque ſit, alveorum altitudinem et profunditatem ex faucibus dependere, quarum fundo tamquam baſi ſuperiores fluminis partes innituntur. Tiberis igitur, Atheſiſque flexus potiſsimae alluvionum cauſſae ſunt: non tamen excludenda faucium amplitudo, quibus profecto modus eſſet adhibendus, et connitendum, ut, quantum res ipſa patitur, in arctius cogerentur. Et ſane ſi praeceps atque

que expeditus in Mare decurrat amnis, quod fiet contractis artificioſe faucibus, minus erunt altae ſectiones aquarum, quae partes ſuperiores occupant. Si vero fauces latius patebunt, quam oporteat, in tanta amplitudine minoribus aqua viribus utetur; atque ita impetus maris ex adverſo validius obſtabit; ac propterea fluctus pro amiſſa velocitate ſuperius excreſcent, ſuiſque finibus effuſi ſubjectos agros inundabunt. Verum, ut quod ſentio libere exponam, placet mihi cauſſas omnes, quibus nimia in Tiberi, et Atheſi aquarum altitudo tribui ſolet, ad unicam referre, hoc eſt ad earum tarditatem ac ſegnitiem. Nullus enim dubitandi locus eſt, quin aqua fluens molem ſuam ita temperet ac moderetur, ut quo majori fertur velocitate, eo magis decreſcat, itemque eo

magis augeatur, quo minus eſt impetus defluendi. Quare collocanda minime ſunt inter eluviones illas, quibus nullum ſatis aptum remedium adhiberi poteſt, quaelibet fluminis incrementa; haec enim ab inferioribus impedimentis proficiſci conſtat apertiſſime: quod nimirum ob peſſimam amnis conſtitutionem, qui aut in plures quaſi ramos diductus ibi fuerit, ubi minime oportebat, aut alveo, aut oſtiis plus nimio ampliatus, nequeat tota illa vis aquarum per ſectiones inferiores emitti, quae a ſuperioribus demittitur. Poteſt etiam ideo evenire, quod totus fluminis ejuſdem alveus variis inclinationibus propendeat, ut optime perſpici poterit in modulis illis, quos ad harum aedium uſum et ornamentum propediem efformabo. Ex his quiſque plane cognoſcet,

eum,

eum, qui curas ſuas et cogitationes in id confert, ut inundationes avertat, hoc eſt, ut ſectiones inferiores amnis, qui extremis ſuis partibus eſt, ut vocant, orizontalis, tantam aquae copiam deferant, quantam ex ſectionibus ſuperioribus alvei multimodis inclinati recipiunt, eum, inquam, debere artis beneficio opem ferre naturae. Quod quidem nulla ratione alia fieri poteſt, quam ſi aqua tota in unum, idemque veluti corpus coacta decurrat, faucesſque, proportione ſervata, conſtringantur. Quod ſi fiat, commodum illud conſequetur, ut aquae multo facilius maris adverſantis incurſum propellant. Etenim amnis qua exit e faucibus, tunc obſtantibus maris undis praevalet, cum magno impulſus impetu prorumpit, qui quidem impetus eo major eſt, quo majori fertur

tur velocitate. Hinc etiam fiet, ut non ſolum fauces, quo omnis cura conferenda eſt, effodiantur; verum etiam decurſus aquae ſummae in eodem flumine ad orizontem minus inclinetur, ac propterea ocyus in aequor proſiliat. Si igitur Tiberis, atque Atheſis majori celeritate in mare promerent, tanta profecto non fieret litoris amplitudo ac moles, quantam fieri videmus, ut argumentis certiſſimis oſtendit litteratiſſimus Lanciſius. Etenim arenae impetu validiore in altum devectae multo longius diſſiparentur. Quod vero idem litoris augmentum utrique flumini perniciosiſſimum ſit, nullus omnino ambigendi locus relinquitur, tum quod eorumdem linea magis magiſque producitur; tum quod alveorum inclinatio in dies magis imminuitur: unde fit, ut eorum

aquae

aquae leniore curſu, ac minore velocitate defluant. Ego vero praeterea, quae ad Atheſim inſtaurandum vobis expoſui, optimum rei tantae illud etiam eſſe putavi, ut qua eſt aditus in mare, conſtrueretur opus trabibus, arciſque multo lapide ingeſto contextum, cujus quidem typum ac formam Sereniſſimae Reipublicae jam exhibui. Hujus porro molis illud beneficium eſſet, ut tantiſper in dextrum latus inclinata oſtium defenderet, tum a maris Adriatici profluente unda, tum a ventis, qui in fauces irrumpunt. Sed quamdiu nugis meis patientiam veſtram fatigabo? Ad Lanciſium redeo in re hydrometrica nulli ſecundum, qui de aggeſtionibus ad numerum uſque xxv. eleganter, ſciteque locutus, eos deinceps arenarum tumulos aggreditur, qui paſſim ſupra litus

emer.

emergunt, magnamque philoſophandi materiam ſuppeditant. Sive enim conſideres, quomodo ipſi tollantur, ſive qua ratione tam multae plantae cum exoticae, tum etiam indigenae inde ſuccreſcant, non leve eſt diſputandi argumentum. Sed quia alterum altero videtur eſſe praeſtantius et utilius, paucis tumulorum generationem exequitur, et in Botanica difficultate conſiſtit. Primum igitur plantas recenſet, locorumque diſcrimina diligentiſſime notat, ex quibus enaſcuntur; deinde duobus veluti jactis rei Botanicae fundamentis, ideo, inquit, plantas tam multas, tamque varias, cum in nova, tum in antiqua aggeratione ſuboleſcere, quod ſingularum ſemina partim ab aquis, partim ab avibus, et brutis, partim a ventis aſportata nutritii ſucci copiam inveniant. Quodque valde

mire-

Digitized by Google

miremini, non ea tantum ſemina foecunda eſſe contendit, quae recens advecta ſunt, ſed illa ipſa, quae tribus, vel etiam quinque ante annis, illuc traducta, ſub arena delituerunt. Quinimmo eſſe quaedam oſtendit, quae tam longi beneficio temporis indigeant, donec terra illa ſicca et arenoſa aliqua ratione pingueſcat, ſingulisque alimenta praebere poſsit. Sed quid non licet magnis ingeniis? Rebus hiſce omnibus tam acute, tam diligenter examinatis nihil eſt, ut ego quidem arbitror, quod addi poſſit, aut detrahi. Sed tamen liceat, veluti mantiſſae loco, neſcio quid ſuperaddere, per ſe quidem exiguum ac leve, qualia ſolent eſſe noſtra, ſed nihilominus ejuſmodi, ut in ipſas aquas pluvias plantarum ſemina, vel fruſta a ventis inferri patefaciat.

Digitized by Google

Menſe Majo anni 1711. cylindrum quendam vitreum cum paraſſem, cujus altitudo erat unciarum undecim, latitudo duarum, et in eo aquae pluviae diligentiſſime collectae tantum poſuiſſem, ut ad ſex cylindri uncias aſcenderet, operui magna ſane cura, et in tutiſſimo loco procul a ventis et ſole collocavi. Quarto poſt Menſe tenuiſſimum quoddam velum in aquae ſuperficie innatare viſum eſt varie textum, cujus particulae quaedam altiores erant, nitrique formam referebant. Menſe Martio anni 1712, ſed multo clarius menſe Junio, coepit in toto velo, praeſertim vero in ejus extremis partibus, quae cylindrum attingebant, viride aliquid apparere, quod in dies creſcens tam grave fiebat, ut in fundum deſcenderet, ibique conſiſteret. Subſtantia haec viri-

ri-

ridis anno denique 1713. explicuit ſeſe, tamquam membrana quaedam, per totam cylindri ſuperficiem concavam uſque ad uncias quinque, cum aqua ad uncias quatuor redacta eſſet. Duobus his annis proxime elapſis multo magis aucta eſt: nunc vero cum aqua tantum decreverit, ut vix duarum unciarum altitudinem occupet, membrana aquae ſuperficiem duabus unciis exuperat, tametſi non ubique aequaliter propter inaequalem, ut opinor, cylindri figuram. Hic porro animadvertere oportet, partes illas membranae, quae longius ab aqua diſtabant, aqua imminuta exharuiſſe, et in concava cylindri ſuperficie minuta quaedam capillamenta reliquiſſe, veluti arida virgulta, cinereum colorem referentia. Ceterum ubi membrana aquae ſuperficiem excedit, per

minutiſſimas radices cylindro inhaeret; ubi vero ab aqua ſuperatur, caret radicibus, quae ſubinde, aqua decreſcente, oboriuntur. Aqua vero ipſa, quemadmodum animadverti, ejuſdem in ſpecie ponderis ſemper fuit. Primum quidem mihi perſuaſeram, ſubſtantiam illam viridem eſſe ſpeciem quandam Muſci marini, in quo videbar mihi Plinium, ac Theophraſtum ſequi: ſed cum diligentius examen inſtituerim, Hepaticae genus quoddam cenſeo, quae a Graecis λείχην, a Latinis Lichen appellari ſolet. In quo me Galenus confirmat, qui, ſexto de ſimplicium facultatibus libro, Lichenis cujuſdam meminit, quae Muſco ſimilis eſt, ſed tamen inter plantas referri poteſt. Microſcopiis exquiſitiſſimis uſus, quae nobis beneficentiſſimus Comes Generalis Mar-

ſilli

Digitized by Google

ſilli donavit, ſaepe vidi totam illam ſubſtantiam veluti polymitum quoddam eſſe, hoc eſt alibi planam, filiſque tenuiſſimis intextam, colorem ſubfuſcum imitantibus, alibi prominentem per folia quaedam viridia, quae quo magis a trunco recedunt, in ampliorem figuram deſinunt, et altera alteris ſupercubantia monticulos formant. Id totum in cauſſa eſt, Auditores, ut credam, in aqua illa pluvia ſemina ejus plantae fuiſſe, quae deinde in cylindro ſuccrevit, nobiſque apparuit, cum minime dubitari poſſit de illo Botanicae canone, quem in Lanciſianae Diſſertationis numero vigeſimo octavo legimus --Nullam herbam, fruticem, aut arborem naſci uſquam poſſe, quin aut ſemen, aut plantae fruſtum, quod ſeminalis plantae locum tenet, ibi-

dem

dem inveniatur. Sed jam ad noſtrum Academicum redeamus, nucibus hiſce relictis. Diſputationem ſane mirabilem, talemque, ut nequeat eſſe niſi Lanciſii, duae claudunt urbaniſſimae epiſtolae, prima Auctoris ad ampliſſimum Praeſulem Joannem Chriſtophorum Battellum Amaſeae Archiepiſcopum, et Sanctiſſimi Patris a Secretis Apoſtolicorum Brevium ad Principes; altera Battelli ad Auctorem: de quibus nihil dicam, Auditores, niſi, alteram videri mihi Plinii, alteram Ciceronis; hoc eſt Lanciſianam Philoſophi, ſed Philoſophi elegantiſſimi; Battellianam Oratoris, ſed Oratoris ſapientiſſimi. Non eſt, ut vetuſtis temporibus invideamus. Habet aetas noſtra Bembos ſuos, Sadoletos, Muretos habet, quae horum omnium, et praeterea multorum, dicendi copiam

ac

Digitized by Google

ac ſuavitatem in uno Battello admiratur. Sed non eſt hìc locus, ut de Viris omni genere laudum longe majoribus multa dicamus. Gratulemur nobis potius de tanta ſaeculi noſtri felicitate; grateſque agamus PONTIFICI OPTIMO ac SAPIENTISSIMO; qui talia nobis exempla, in magna luce collocata, ad imitationem proponit. Fruantur diu litterae tanto Principe, fruatur diu Princeps viris tam litteratis ad magnam Romanae Sedis gloriam, Albanique Nominis immortalitatem.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE IGNIBUS HETRUSCIS

Ad Naturae leges expenſis.

Diſſertatio Secunda.

QUi ſatis intelligerem, quam ſit difficile coram vobis, Ampliſſime ac Litteratiſſime Rinuccine Prolegate, Illuſtriſſimi, atque Excelſi Patriae Patres, Auditoreſque ornatiſſimi, pro dignitate verba facere, neque tamen laborem defugere vellem, non alia putavi ratione ſuperiori anno dignitati me veſtrae, atque hujus loci amplitudini ſatisfacere poſſe, quam ſi unius ex Academicis no-

Digitized by Google

ſtris Sapientiſſimi Viri Joannis Mariae Lanciſii celeberrimam Diſſertationem, quae inſcribitur - Phyſiologicae animadverſiones in Plinianam Villam nuper in Laurentino detectam - in medium afferrem. Atque in eo ita ſane ſucceſſit mihi, ut non modo veniam apud vos invenerim, ſed etiam laudem reportarim: quod captae veſtrae mentes novitate operis, praeſentique oblectatione abalienatae, ea, quae ab illo ſumpta referebam, perinde exceperint, tamquam a me excogitata tam ſapienter forent, tamque apte diſpoſita, tantaque eruditione referta. At vero hoc anno cum jam non mihi liceat alieno labore videri ſapientem, quodnam tenuitati meae ſubſidium quaeram, aut quid tandem proferam, quod ſuo merito vos habeat ſatis attentos? Equidem cum nihil tale de

in-

ingenio meo ſponderem mihi, quod tanto videretur honore dignum, quo me hodie tanta frequentia huc convenientes dignati eſtis, eam mecum ipſe rationem inivi ſubveniendi inopiae meae, ut, quando non datur doctiſſimum illum paullo ante commemoratum Virum iterum tanta cum gratia loquentem producere, ejus ſaltem ſtudia, & induſtriam, quantum quidem per meas mihi vires liceret, imitarer. Ille videlicet, ut primum ab intentiſſima opera, quam Principi noſtro Sanctiſſimo navat, reſpirare poteſt, ſecurus ac laetus ad ſua ſtatim amoeniora ſtudia recurrit, unde tantus in Academiam hanc noſtram, atque in totam litterariam Remp. eruditionis fructus ſolet exiſtere. Ad eundem ferre modum ego, quantum quidem in aſſidua publicae, privatae-

Digitized by Google

que ſcholae occupatione ſupereſt mihi temporis, et quantulum in me virium, et ingenii eſt, ad naturalium rerum ſtudium, quas mihi partes impoſuiſtis totum confero. Ac quemadmodum ille Diſſertationem ſuam, dum ruſticaretur, elaboravit; ita ego meam hanc, quam ſtatim recitabo, per vacationes autumnales itidem ruri confeci. Quo videlicet intelligatis, ne illud quidem otium honeſtiſſimum, quod relaxationis gratia concedi ſolet, a me, cauſſa utique veſtra, omni prorſus penſo vacuum praeteriri. Excipite ergo aequis auribus animiſque, quae de Hetruſcis ignibus ad naturae leges expenſis recens a me notata, atque animadverſa vobis expono, unde aliqua fortaſſe vobis lux exoriatur ad Phyſicam facultatem.

Petramala Vicus eſt dioeceſis Bono-

nonienſis, Magno Hetruriae Duci civili jure ſubjectus. Non procul ab illo quatuor ignes ex locis inter ſe diverſis erumpunt, quorum primus ab Incolis Ligneus vocatur; alter vulgo del Peglio; tertio del Montoggiolo; quartus vero, qui raro accenditur, Canidae ignis nuncupatur. Omnes ex una eademque cauſſa proficiſcuntur: et quia ignis Ligneus eſt ceterorum maximus, ad illum converti animum, omnemque laborem meum et induſtriam contuli. Hic itaque in ipſo Canidae montis dimidio ſitus eſt, qua ad orientem vergit infra ſummum ejuſdem montis verticem pedes Bononienſes tercentos ſeptuaginta octo. Exurgit ex parva rotundaque planitie, cujus diameter pedum eſt fere novem. Non ex omni hac ſuperficie exeunt flammae, ſed alia

qui-

quidem hinc, alia illinc ex variis foraminibus erumpit. Juſsi primum ligone excavari alveolos quatuor dimidium pedis altos, latos pedes unum, longos decem, qui ſe ex ignis circumferentia ad apertam planitiem extendebant: primus quidem ad Septentrionem, ad Ortum ſecundus, tertius ad Meridiem, quartus denique ad Occaſum vergebat. Deinde ſaepius in extrema alveorum parte Thermometrum poſui, & animadverti eundem liquorem minore temporis ſpatio in alveo illo, qui Septentrionem, hoc eſt, qui montis Canidae verticem reſpiciebat, ſurſum attolli; quamobrem valde mihi perſuadeo, caput et originem hujus ignis in montis ipſius faſtigio eſſe, aut prope faſtigium. Porro trium dierum ſpatio animadverti Mercurii altitudinem meridiano tempore

pore in Barometro quodam illi admodum ſimili, quod hic ego reliqueram ab ornatiſſimo Doctore Philippo Vernizzi Alumno meo diligentiſſime cuſtoditum, lineas ſeptem inferiorem eſſe. Quamobrem (ſi tamen hujuſmodi metiendi rationi fides adhibenda eſt) Ligneum ignem plano orizontali Bononienſi mille ſexcentos et nonaginta octo pedes altiorem eſſe, mihi perſuadeo. Ad extremam ignis partem qua meridiem reſpicit, foſſam decem pedes latam, longam ſexdecim excavandam curavi, quae tribus diebus pedes ſexdecim effoſſa eſt. Hic nihil aliud advertere potui, niſi terram, quo altius effoditur, molliorem eſſe, et oleaginoſa quadam materia magis imbutam. Hujus terrae color ſubfuſcus eſt ac cineri ſimilis; terra vero ipſa boli inſtar laevis, pin-

guis

guis et unguinoſa, gravi pondere, ſubſtantia quadam arenoſa ac tenui, qualis ferme ſolet eſſe creta ſicca, ſapore et odore petroleum referente. In ea foſſae parte, quae igni proxima eſt, ſtrepitus quidam exaudiebatur, perinde quaſi ſubter ignem aliquis flueret amnis. Quare illico operam dedi, ut fornix fieret ſex pedes latus, altus vero octo furni inſtar, ut ſub ignem facile penetrare poſſem. Sed cum jam ad quinque pedes terra effoſſa eſſet, hiatus quidam factus eſt, ex quo magna venti calidi vis erupit, qui poſt triginta minutorum ſpatium, una cum illo, quod audiebatur, murmure, evanuit. Poſtero die juſſi iterum ſcalpris ferreis fornicem excavari; ſed cum ſcalprum quoddam offendiſſet lapidem, ex eo ictu ſcintilla quaedam excita eſt, quae tantum

ignis

ignis repente accendit, ut totum fornicem, et foſſam, non ſine eorum, qui aderant, periculo, occupaverit. Sciendum eſt, Ligneum ignem, de quo verba facimus, extingui poſſe, iterumque accendi, ſiquis fomitem aliquem, aut exilem facem admoveat, quae ſtatim (ut prorſus in pulvere pyrio uſu venire ſolet) omnem ſuperficiem, ex qua exit ignis, incendit. Igitur juſſi primum hunc ignem extingui, mox circa ipſum quadratum in planitie deſcripſi, cujus ſuperficies pedum eſſet centum et quadraginta quatuor. Locus iſte magna virium contentione, & improbo labore excavatus eſt, propter lapides multos, qui paſſim occurrebant, pedeſque duos et viginti effoſſus eſt. Hìc quoque deprehendi, quo altius ligones agebantur, eo magis terram liquore illo, de quo

ante diximus, imbutam eſſe. Ego e. quidem ignis hujus originem me deprehendere poſſe ſperabam; quinimmo omnes illius loci incolae idipſum pro certo habebant; ſed illa ipſa nocte, & proximis ſubinde diebus tanta decidit pluviae copia, ut, foſſis jam aqua nimia repletis, incoeptum opus proſequi nequiverimus. Poſtquam ego diſceſsi, imbreſque delapſi exhaurere, ignis denuo ab incolis accenſus eſt, qui ad me ſcripſerunt, numquam antea tam ingentem fuiſſe; ideoque magis magiſque eorum opinionem confirmari, qui ignis iſtius caput et fontem non nimis alte latere putant. Igneam hanc terram attente exploravi non oculis tantum, ſed etiam microſcopio: et primum quidem partem quandam abſcidi ſectione ad orizontem parallela, magnam-

gnamque pororum copiam deprehendi, e quibus humor quidam petroleo ſimilis emanabat. Eam deinde ſecui perpendiculariter ad orizontem, variiſque mihi pori (qua quidem in re non mediocri affectus ſum voluptate) arborum ramis, nervorum, venarumque truncis omnino ſimiles ſeſe obiecerunt. Terra haec neque temporum viciſsitudine, neque pluviarum copia ſuum amittit colorem. Sub dio poſita odorem, ſuamque illam unguinoſam pinguedinem diu ſervat: ſed paullatim amittit utrumque. Bernardus Nunzi, cui Capreni Eccleſia et Paroecia commiſſa eſt, dignus enimvero, quem ſibi ceteri animarum Paſtores, velut inſigne omnium virtutum exemplar, ante oculos ponant ad imitandum; qui in difficili illo et operoſo munere ita

F 2 agit,

Digitized by Google

agit, quaſi de Caelo miſſus; qui annuos proventus, quantumvis tenues, partim in Eccleſiae ornamentum impendit, partim pauperibus erogat; qui populum ſibi concreditum ad veram Chriſti ſcientiam ſine intermiſſione informat; qui denique diu noctuque aegrotos inviſit, eiſque neceſſaria omnia liberaliſſime impertitur; is, inquam, identidem cum eorum aliquo, qui ſibi maxime cordi ſunt, et eſſe debent, Chriſtiana dogmata explicans (o vere felicem beatamque vitam!) ad Canidae montem ſe confert, flammaſque illas incredibili voluptate notat, et obſervat. Is mihi narravit flammam hanc aliquando eſſe majorem, aliquando minorem. A menſe Martio anni 1713 uſque ad Martium anni 1714 fuit exigua ſemper et exilis: a Martio vero anni

1714

1714 uſque ad Martium anni 1715 ita crevit, ut hyberno tempore anni praeteriti ſeſe ad quinque pedum altitudinem erexerit. Poſtquam vero ego terram illam effodi, ad ſeptem uſque pedum altitudinem pervenit, quae quidem poſt hominum memoriam ſumma eſt et maxima. Quo tempore ibi fui cum liquor in Thermometro ad lineam creſcebat, ſtatim ſe flamma ad pedis dimidium extollebat; quae proportio, et analogia, a me notata diligenter, perpetua fuit. Cum eurus vel pluvia imminet, flamma extollitur. Quamquam mons ille multis anni menſibus nive operitur, tamen tellus, quae ignis circumferentiae proxima eſt, ſeptem pedum intervallo tota apparet. Flamma ſemper ardet, niſi aſſiduis effuſiſque imbribus, aut ventis vehementiſſime

flan-

ſlantibus extinguatur. Venti porro ejus odorem petroleo ſimilem pedes circiter quadraginta diffundunt. Ego vero, ut de re hac certior fierem, terrae hujus partem non mediocrem accepi, eamque in tepidam aquam multoties conieci, unde liquoris drachmas duas petroleo ſimilis expreſſi. Inſuper terrae hujus portionem miſi Clariſſimo ac honeſtiſsimo Viro Marco Antonio Laurenti in hoc Scientiarum Inſtituto Chimicae Artis Profeſſori, quam ipſe Lucretio Bonzi Alchimiſtae noſtro praebuit. Cepit hic terrae illius libras tres, totidemque uncias, et cum aliquantum triviſſet, poſuit in retorta, ſeu vitreo alembico lutea tunica armato, quem in furno reverberii collocavit, ejuſque collo vas vitreum addidit, juncturis bene clauſis diligenterque compactis.

In-

Digitized by Google

Inde ignem ſuppoſuit, ut ajunt, primi gradus; tum aliquanto poſt gradus ſecundi, unde fluidam materiam lacti perſimilem eduxit. Igne vero poſt duas horas aucto, albeſcentes fumi in vaſe apparuere, qui trium horarum ſpatio vas ipſum obnubilantes circumvolarunt; deinde vero in turbidum laticem evaſerunt. Duas rurſus horas hic ignis duravit; nihil tamen interea accidit animadverſione dignum. Lignis autem admotis, vapores nihil priorum diſsimiles ſunt excitati; ſed brevi dilabentes diſtillationi finem impoſuerunt. Cum vaſa refrixiſſent, latex quidam ſubturbidus unciarum quinque, et drachmarum ſex apparuit, odorem ſaporemque levem petrolei referens, paullum ad ſalſedinem vergentem. Hujus liquoris nonnullae ſtillae in ignem

con-

conieɫtae ipſum extinguebant, tenuem petrolei odorem exhalantes. Aliae vero cum ſpiritu vitrioli admixtae parvo aeſtu efferveſcebant, neque ſuperius, neque inferius, tum in ipſa efferveſcentia, tum poſt quidquam ſeparantes. Quin etiam pellucidae factae ſunt petrolei odorem pauliſper retinentes. In alia quadam ejuſdem liquoris portiuncula cum ſal volatile ſiliquarum poſitum eſſet, bullulae quaedam apparuere, nihilque praeterea. Cum ſal quoque armoniacum infuſum eſſet, auxit paullum petrolei odorem. Ipſe demum liquor in oleum tartari iniectus eſt, multaſque horas ſupernatavit. Cum ex fornace retorta educta eſt, terra, quae in illa inventa eſt, partim ſubfuſca apparuit, partim etiam rubra, quod conſumpto paullum retortae fundo,

ad

ad eam uſque flamma penetraſſet. A-
cidis ſuper infuſis efferbuit; quemad-
modum ſolent alcalica omnia. Haec
in igne, igneaque terra cenſui animad-
verſione digna. Jam vero ad alia tran-
ſeamus. Ignis hic ligneus numquam
triginta pedibus ex loco, ubi ardet,
longius ſe extendit, quindecim propius,
quindecim remotius a montis Canidae
vertice, eandem ſemper viam tenens.
Non procul duo torrentes fluunt a-
quam dulcem ſalubremque deferen-
tes. Primus eſt ad Orientem, alter
ad Meridiem, diſtantque ille quidem
109 paſſus, hic vero 180. Pecora
a paſcuis huic igni proximis non ab-
horrent. Ibi ego collegi varias plan-
tas flammarum vicinitate ſemiuſtas;
hoc eſt Cardum Sylveſtrem; Gramen
Aculeatum, quod Graecis ἀγρώςις; Plan-
tam quandam ſimillimam Polio a Dioſ-

 cori-

cotide deſcripto, caulibus teretibus et albis, flore et capitellis Polio ſimilibus, non ſine aliquo odore; Morſum Diaboli; Symphytum Petraeum ramis ſubtilibus, capitellis, et frondibus thymo ſimilibus. Sed illa ceterarum pulcherrima fuit, quae a Graecis σπυρις, ab Italis Lanaria nuncupatur. Haec colorem nigricantem praeſeferebat; ramos teretes habens ſex foliis ornatos, folia vero ipſa partim nigra, partim rubra. Hae plantae radices agunt in terram illam oleoſam, et ex ea nutriuntur. Denique animadverti, per loca igni proxima identidem reperiri Idola, et numiſmata. Bernardus Nunzj, qui rebus antiquis mirifice delectatur, affirmat, nulla inveniri numiſmata primis Imperatoribus vetuſtiora; eumque priſcarum gentium morem fuiſſe, ut

talia

talia quaedam in ignes illos conjice-
rent; quapropter, inquit, ignium an-
tiquitas non videtur eſſe major anno
ab Orbe condito 3917, quo tempore
Imperatores rei Romanae potiti ſunt.
Equidem pace ornatiſſimi ac religioſiſ-
ſimi Viri dictum velim, ex iconibus,
Idolis, ac numiſmatibus, quae ibi repe-
riuntur, nihil de horum ignium vetu-
ſtate affirmari poſſe arbitror duabus po-
tiſſimum de cauſſis. Nam primum ſi
numiſmata, et Idola in ignes coniici
conſueviſſent, non paſſim per agros
diſperſa reperirentur ad 300 uſque
paſſus, ſed apud ignes ipſos dumtaxat.
Deinde cuilibet igni proxima eſſent,
non per illud tantum ſpatium determi-
nata, quod inter ignem Ligneum, et al-
terum del Peglio intercedit. Itaque e-
xiſtimo veroſimilius, cum non procul
hinc Hetruſcorum Arx fuerit celeber-

rima , quae hodie dicitur Capreni Arx ad quam multa praelia commiſſa ſunt, ut eſt apud Hiſtoricos , ſimul cum humanis corporibus numiſmata , et Idola ibidem humata fuiſſe. Ego tria tantum numiſmata reperi, duo quidem Conſtantini Magni, tertium vero Conſtantii ejus filii: aliud inſuper argenteum reperit Nepos Plebani del Peglio, me praeſente in quo haec legebantur - Thaddeus Primus Pepulus Princeps Bononiae - quod ego Ampliſſimo Domino Marchioni Joanni Paulo Pepulo Maecenati optimo donavi. Si per valetudinem licebit, rurſus me proxima aeſtate in montes illos conferam, in quibus multa ſane praeclara ſunt, & cognitione veſtra digniſſima. Interim vero haec qualiacumque aequi bonique facite, nec reputetis, quid vobis afferri debeat, ſed quid a nobis afferri poſſit.

DE

DE PESTIS BOVILLAE *HISTORIA*

Ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Praeſule

JO. MARIA LANCISIO

EDITA.

Diſſertatio Tertia.

SI quoties doctiſſimus Praeſul Joannes Maria Lanciſius eruditas lucubrationes in lucem edit, toties id mihi oneris impoſituri eſtis

Digitized by Google

ſtis, N.N., ut eas in hoc ampliſſimo loco referam, vereor, ne major viribus provincia ſit, pluraque ille ſcribere pro ſua incredibili foecunditate poſſit, quam ego referre. Vix annum elapſum eſt, ex quo praeclariſſimam de Villa Pliniana Diſſertationem in conſpectum veſtrum attulimus, & pro virili commendavimus, cum rurſus volumen alterum mole non exiguum, rerum vero copia, ſtili elegantia, & ſententiarum gravitate maximum expendere jubemur, & ad hujus Academiae utilitatem per ſumma capita vobis exponere. Parendum enimvero vobis, quoniam ita neceſſe eſt, parendum, Auditores; ſed illud ante denuncio, Lanciſiana opera ejuſmodi eſſe, ut recitari debeant, non referri. Nihil eſt otioſe dictum, nihil quod paucioribus dici poſſit; ſed tamen quoniam

ita

ita ratio poſtulat, et uſus referendi, conabor quantum fieri poterit, omnia in anguſtum coercere, et de quibus potius dicat, quam quae dicat enarrare. Illud vos etiam atque etiam oro, Auditores ſpectatiſſimi, ut hodierna die non me quidem dicere, ſed Lanciſium putetis; eoque ſilentio et attentione audiatis, quam Philoſophus toto orbe celeberrimus promeretur.

Quamquam egregius Vir ſatis multa ad Orbis, et litterarum utilitatem facit, cum nobis ſapientia, & induſtria ſua vitam ſervat optimi ac ſapientiſſimi Principis; tamen qui numquam ſatis ſibi ſatisfacit benefaciendo, novas in dies lucubrationes meditatur, ac ſcribit, quibus homines a multorum morborum labe, egregie docendo, defendat. Is eſt libri hu-

jus

Digitized by Google

jus ſcopus, quem in praeſentia prae manibus habemus. Nihil enim praeterea continet, quam Hiſtoriam quandam Peſtis Bovillae ab origine uſque repetitam, ut ſi quando homines ſimili calamitate vexentur (quam ego votis omnibus, precibuſque averto) multa conſilia, multaque praeſidia, in hoc quaſi Theſauro parata reperire poſſimus, quibus vel graſſanti, vel imminenti morbo facile ſuccurramus. Tres enim in partes volumen totum diviſum eſt ad magnam quandam perſpicuitatem; in quarum prima, quae toto illo tempore Romae, & in finitimis Oppidis contigerint, continentur; in altera opportuniſſima decreta ad remedium promulgata; in tertia denique phaenomena, ſigna, cauſſaeque foediſſimae peſtilentiae. Sed jam primam aggrediamur.

To.

Totius hiſtoriae initium viſum eſt doctiſſimo Viro ab Hungarico illo Bove repetere, qui in Italiam anno 1711 advectus eſt. Ita enim facile morborum genus omne ſuperatur, ſi cauſſa princeps inveniri poſſit, atque convelli. Hinc in Latium tranſit, oſtenditque firmiſſimo argumento, Mercatorum avaritia factum eſſe, ut lues illa, quae intra Venetos fines ſeſe non exiguo tempore continuerat, in Campaniam primum, deinde in Agrum Romanum irrepſerit. Hic vero habetis, Auditores, primum Sanctiſſimi Patris conſilium ad luem teterrimam propulſandam. Ubi enim triſtiſsimum nuncium accepit, ſtatim Cardinalium, et Praeſulum ornatiſſimorum conventum habuit, ut ea omnia dicerentur, ac fierent, quae in rem graviſsimam convenirent. Non opus eſt ſingula

commemorare. A capite tertio ad nonum uſque prudentiſſima habentur edicta tum ad pietatem, tum ad Politiam, tum ad artem Medicam pertinentia, quae incredibilem incomparabilis Principis vigilantiam declarant. De nono vero, ceteriſque quid dicam? Cum tot, tantaeque per totum Latium pecoris ſtrages ederentur, valde timuimus, ne ad extremam inopiam veniretur, magnoque cum rei frumentariae detrimento inculti agri deſtituerentur. Sed Dei Optimi Maximi providentia factum eſt, ut calamitoſiſſimum tempus in feliciſſimam CLEMENTIS XI. aetatem incideret, qui ſua quadam non facile laudanda, multo vero minus imitanda cura et liberalitate, impendentia mala, timoremque omnem a ſuis Civitatibus ac finibus propulſaret. Infinita

nita

nita prope ſunt, quae a nobis referri poſſent in rem hanc, ſi cuncta referre neceſſe eſſet; excuſſae multorum ſententiae, & optima quaeque probata; pecuniae indigentibus diſtributae; boves e ſaluberrimis locis importati; agricolatio juſſa; agrorum cenſus habitus; denique omnia tentata, omnia proviſa, quae tentari, ac provideri ad tot populorum ſalutem, et incolumitatem poterant.

Singula haec ita diligenter perſequitur doctiſsimus Lanciſius, tanta perſpicuitate, et orationis nitore explicat, ut oculis prope ipſis conſpiciantur. Sed cum in aratione praeſertim conſiſtat, & omnia referat, quae hac de re a ſapientiſsimis Viris propoſita ſunt, et ab optimo ac Sanctiſsimo Patre juſſa, rogamus, obteſtamurque Auditores noſtros, ut ea

 ipſi

Digitized by Google

ipſi per ſe legant, et attente conſiderent, habituri nobis gratiam non ſane levem, quod praeclariſsimum et utiliſsimum locum oſtenderimus. Lites itidem inter agrorum dominos, et colonos obortae referuntur, & judicia, quibus ſublatae ſunt; regulae ad tollenda paſtorum de paſcuis certamina; edicta de re graviſsima; denique praeſidia omnia, quibus foeda contagio depulſa eſt, & res frumentaria reſtituta. Ex quibus omnibus facile colligent poſteri noſtri, ad hujuſmodi calamitates avertendas, primum quidem tollendum eſſe commercium omne ejus pecoris, quod laborat; deinde vero cadavera celeriter ſepelienda; tum ex finitimis regionibus extra periculum poſitis armentorum mercatores alliciendos; denique antevertendum conſilio

lio operaque omni arationis tempus, ſi morbus in boves invaſerit.

Sed jam ad partem alteram properemus, quam multo brevius abſolvemus, quoniam nihil continet, niſi edicta ipſa, de quibus in parte prima mentio facta eſt. Viſum eſt itaque Viro perſpicaciſsimo Summi Pontificis, Sacrae Conſultae, ac Miniſtrorum ſanctiones integras edere, ut ſimul omnes curam, & vigilantiam attentiſsimi Principis agnoſcant, ſimulque veluti exempla propoſita habeant ad remedia in graviſsimis periculis comparanda. Diligentia haec ſaeculo noſtro maxime probari coepit, quo nihil fere narrari ſolet, niſi certiſsimis documentis comprobetur: quod niſi majores noſtri faſtidio quodam omiſiſsent, haberemus profecto exquiſitiſsima antiquitatis monumenta ad mul-

multarum rerum hiſtoriam, et erudi. tionem illuſtrandam. Neque vero confuſe, ut pro tempore, & cauſſarum ratione edita ſunt, decreta exhibet Hiſtoricus noſter, ſed pro illa perſpicuitate ingenii, quae in ſcriptis ejus ubique elucet, in duas claſſes diſtribuit, in quarum prima ea exſcribit, quae ad prudentiam optimi Pontificis, in altera quae ad ejus incredibilem ac prope divinam liberalitatem referuntur; ut ex illis quidem appareat, quomodo peſtilentiam arcuerit; ex his vero, quomodo rem frumentariam, & agrorum cultum reſtituerit. Verum haec legenda ſunt, non referenda. Ad partem tertiam gradum faciamus.

Sed hactenus quidem Hiſtoricum audiſtis; deinceps Philoſophum ac Medicum excipite. Videtis, opinor,

nor, hanc eſſe provinciam ejus: etſi enim nulla eſt litterarum pars, in qua non egregie verſetur, in philoſophicis tamen et Medicis rebus veluti regnat, totiuſque Italiae conſenſu princeps eſt. Praeterquamquod nullius paene frugis cenſenda ſunt, quaecumque in prima et altera parte afferuntur, niſi morbi hujus natura, cauſſae, effecta, et curandi rationes explicentur. Caput primum eruditionis pleniſsimum eſt, non ex prophana ſolum, ſed etiam ex ſacra Hiſtoria petitae. Oſtendit enim genus hoc calamitatis minime novum eſſe, ſed priſcis temporibus familiare fuiſſe ex Livio, Plutarcho, Columella, Eginardo, & pluribus annalibus; ubi illud praeſertim animadvertendum eſt, Ethnicos populos in hujuſmodi periculo, tamquam omnium maximo, novos ritus, novaque ſacri-

ficia

Digitized by Google

ficia inſtituiſſe, Deoſque ſuos, quoquo tandem modo poſſent, placaviſſe. Certe morbus eſt ejuſmodi, ut cum nulla humana diligentia ſanari poſſe videatur, homines altius convertat, jubeatque a Superis ipſis peculiarem quandam opem poſtulare. Hanc in rem Eclogam S. Severi non inelegantem affert, unde apparet, bovillam peſtem, ſaeculo quarto per omnem Europam ſevientem, non ſine miraculo eſſe depulſam. Sed quia non defuerunt, qui morbum hunc aetate noſtra graſſatum veram peſtem fuiſſe negarent, hoc ipſum in altero capite perſequitur, et varia luis ſigna ac ſymptomata elegantiſſima deſcriptione recenſet. Et ne quid nobis deſiderandum relinqueret, celebrem illam et philoſophica meditatione digniſſimam quaeſtionem omittere noluit, cur peſti-

Digitized by Google

ſtiferum miaſma boves tantummodo afflaverit. Difficultati reſpondet Hippocrates lib. de Flatibus numero octavo; ſed ejus verba & pauci intellexerunt, & nemò adhuc ſatis apte explicavit. In hoc tota vertitur reſponſio, quod *corpus a corpore*, *natura a natura differat*; ſed quomodo id fiat, híc opus, híc labor eſt. Juvat Interpretis noſtri explicationem totam deſcribere, vobiſque rectiſſime judicantibus ſubiicere, ut ex parvo quaſi ſpecimine intelligatis, quid hoc voluminis ſit, quod vobis commendo. Aer, inquit, ſecum defert, ſuſpenſaque habet innumera, diverſaque corpuſcula, itaut quae ſpiritum ducunt animantes, eadem ſimul hauriant ſemina, quae deinde per corporis vias, & canaliculos permeantia pro cujuſque corporis textura, & humorum

Digitized by Google

temperatione, mixtioneque cum illis non idem efficere conſueverunt. In aliquibus enim ita ſolidas partes extimulant, ac vellicant ob figurarum, viarumque diſſimilitudinem; ita fluidas miſcent, atque perturbant, quod alia ſibi ſimilia corpora motu cieant, ut funditus illas immutent. Praeterea ob viarum, & tubulorum corporis diverſitatem cum aere, potu, vel cibo hauſta corpuſcula, multis modis percolata, atque diſpoſita longe diſſimiles ſuccos efficiunt, aut noxios ſcilicet, aut ſalubres -. Quid excogitari poteſt acutius, aut nitidius explicari? Id porro exemplis a plantarum diverſitate petitis egregie confirmat. Quemadmodum enim dulcibus & innoxiis plantis in eadem telluris area amarae & veneficae adnaſcuntur, quod iidem habitus, iidemque ſucci

di.

Digitized by Google

diverſis plantarum tubulis excepti diverſas naturas induant; ita eadem corpuſcula a diverſis animalibus hauſta, pro varia ſolidarum partium textura, & liquidarum temperatione, varios, ſibique contrarios effectus edunt. Per haec abſoluto tertio capite, in quarto eventa recenſet obſervatione digniſſima, quae fieri tum in hominum, tum in boum peſte conſueverunt, rationeſque affert, cur Veſpillones, graſſante in ceteros morbo, facile evadant; cur boves pingues facilius laborent; cur modo bubalorum vituli ſalvis matribus, modo matres ſalvis filiis interire ſoleant. Sed, ut ante dixi, properandum eſt.

Jam enim eo veniamus oportet, ubi doctiſſimus Vir hujus contagionis cauſſas explorat. Ut hoc ordine praeſtet, primum quidem aliorum opinio-

nes refellit, tum ſuam in medium afſert, atque confirmat. Forte per ea tempora rumor increbuerat, inſectum quoddam, Bupreſtin nomine, totius cladis auctorem eſſe, jamque in populi animis praeſenti calamitate ſollicitis, opemque undeunde ſperantibus fidem invenerat; nec defuit qui ad ipſum Pontificem ſummum de re hac libellum afferret. Negotium ſtatim ad Academicum noſtrum, tamquam ad judicem, delatum eſt; qui in conventu apud illuſtriſſimum & honeſtiſſimum Bancherium Bupreſtis cauſſam egit, et ab omni non ſolum crimine, verum etiam ſuſpicione beſtiolam iſtam luculentiſsima oratione defendit: primum, quod nemo unus in agro Romano Bupreſtin deprehenderit; deinde, quod Bupreſtis venenum contagione non contrahatur; deinde, quod tantus eſ-

ſe

ſe nequiverit Bupreſtium numerus, ut boves quatuor ſupraviginti millia interfecerint; deinde, quod armenta non pauca, obſepta & munita cuſtodiis, communem morbum evaſerint, cum tamen contra Bupreſtin, aligerum animal, nullae cuſtodiae valeant; tum quod credibile non ſit, Bupreſtin nocuiſſe bobus, ceteris vero animalibus pepercisſe; denique, quod nullum ex iis ſignis apparuerit, quae Bupreſtis venenum efficere ſolet. Bupreſtis fabulam ſatis eliminatam altera fabula excepit. Quidam enim totius morbi cauſſam in vermem quendam prope cranium in naribus latitantem conferebant, & pharmaca etiam proponebant, quibus adhibitis excuti poſſet. Alii non unum, ſed plures vermes comminiſcebantur, a quibus veluti ſcabies quaedam contagione propagata ori-

retur. Utroſque lepidiſſime refellit; ſed cum poſterioribus maxime humaniter agit, quippe amicis, & de re litteraria optime meritis.

Jam vero ad caput octavum pervenimus, ubi de ſuo ipſe ſenſu bovillae peſtis cauſſam exponit, viaſque aperit, per quas in animalium corpora irrepit. Id nihil eſt aliud, quam peculiare quoddam particularum genus minutiſſimarum, quae ſumma pernicitate praeditae citiſſime ac vehementiſſime feruntur; & cum bovem attigerint, nares primum, os, & oculos vellicando penetrant, deinde in nervos, & ſanguinem per pulmones, & ſtomachum illabuntur; poſtremo partium omnium tam ſolidarum, quam fluidarum texturam et temperationem irritando, atque arrodendo labefactant. Haec porro ut explicata lu-

cu-

culentius haberemus, epiſtolarem Diſ-
ſertationem adiecit, quam Italice ſcri-
ptam ad ornatiſſimum et doctiſſimum
Praeſulem Antonium Mariam Borro-
maejum, e Theatinorum illuſtriſſima ac
religioſiſſima Familia, paucis ante an-
nis miſerat. In tres omnino partes di-
viditur: in prima agit de morbi ge-
nere, quaeritque, novum ne ſit, an
antea cognitum, quove nomine ap-
pellatum; in altera cauſſam inquirit,
a qua profluxit, & quomodo in hanc
brutorum ſpeciem caſu, eventuque va-
rio propagatum ſit; in tertia, quae
curandi ratio, & praecavendi adhi-
benda ſit, ingenioſiſſime oſtendit. Non
eſt pluribus opus, cum ante editionem
hanc, Venetiis primum, deinde Nea-
poli in lucem prodierit, & in omnium
manibus verſata ſit. Siquid ex ore
veſtro, Auditores optimi, coniicere
poſ-

poſſum, id unum expectatis, ut graviſſimi morbi remedium aliquod proponatur: ſed ingenue fatetur honeſtiſſimus Vir, inter remedia plurima ubique uſurpata, omnino nullum certum ac ſpecificum inventum eſſe; ſed pleraque exitialia fuiſſe, paucisſima innoxia. Quo igitur confugiendum? Scilicet primum quidem Dei Optimi Maximi auxilium exorandum, qui unus boves et jumenta ſervare poteſt; deinde vero ſani atque integri boves ab aegris omnibus, atque adeo a rebus aliis ſimili tabo contaminatis ſeparandi, ac defendendi. Hoc ipſum remedium antiquis temporibus uſurpatum eſt: hoc Columella, Geſnerus, Fracaſtorius, & ſexcenti commendarunt; hoc experientia, quae pluris quam Medici, Scriptoreſque omnes facienda eſt, aetatibus omnibus con-

fir-

firmavit. Hac de cauſſa in capite ultimo monita quaedam continentur, quibus non jam aegri ſanentur, ſed ſani cura et diligentia defendantur. Utinam haec attentiſsime legantur, & animis hominum altiſsime defigantur; ut quoniam, fato neſcioquo rerum humanarum, hujuſmodi calamitates omnino abeſſe non poſſunt, quam minimum tamen propagentur.

Ad libri calcem appendix eſt ejuſdem Auctoris de equorum lue, quae in Latio graſſata eſt anno 1712, ubi totius morbi hiſtoria, judicium, & remedium exponitur. Sed quia haec quoque ſemel, & iterum edita eſt, omnibuſque notiſsima, plura dicere ſuperſedeo. Jam enim fortaſſe de opere toto nimium dixi, quam oporteat, quod nihil dixerim pro rei dignitate. Sed id tamen, ut ſpero,

di-

dicendo obtinui, ut Lanciſianam lucubrationem tanto magis homines admirentur, quanto ex me clarius intelligunt, tanti Viri ſenſa, niſi ab ipſo, explicari non poſſe.

FINIS.

Digitized by Google

Vidit D. Franciſcus Aloyſius Barelli Barnabita Congreg. Cler. Reg. S. Pauli Sanctiſſimae Inquiſitionis Conſultor, & in Eccleſia Metropolitana S. Petri Poenitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo Bononiae, & Principe Sac. Rom. Imp.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Caneti Provicarius Sancti Officii Bononiae.

Digitized by Google

BONONIAE

M DCC XVII

Typis Julii Roſſi, & Soc.
ad Vexillum Roſae.
Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google